

Latinis vocatur *febris ardens*, κατ' ἐξοχλήν ita dicta à perpetuò illius incendiò, & *Febris flammosa* à Cælio Aureliano lib. 2. acui. 32. Barbari Causonidem vocant. Germani Das hitzige Fieber / Die hitzige Haupt und Ungarische Kranckheit appellitare solent.

Symptomatum ratione varia suscipit nomina, & nonnunquam ἀσώδης, quòd ægros inquietos & tædiosos reddat, nonnunquam παραξώδης, quòd ægri spectris quibusdam ob læsam imaginationem terreantur, & quandoque πεικνῆς πυρετός, ob urgentis caloris copiam terreantur, nuncupatur.

ΕΤΥΜΟΛΟΓΙΑ. Καῦσθαι ἄπο ἑ καίειν vel κάειν, *νερε*, originem trahit. Καύσαλις ὁ πυρετός. Καῦσθαι ἢ μέλαινα καὶ ὑπερθεός, ait *Hesychius*.

Febris generali nomine dùm indigitatur hic morbus, ipsius quoque adnotare etymon, operæ erit pretium.

*Hebris* olim in Latio febris nominata fuit, autore *Servio Honorato aeneidos lib. 7.* derivatione desumptâ vel à *Febris*, undè & *Februarius*, Romanorum festò, quibus celebrabantur februa, & urbs ab omnibus piaculis lustrabatur. *Februo* enim antiquis erat idem, quod modernis *purgo*. Hebræi vocant תתק morbum corpus inflammantem, à תתק incendit, & תתק febrim ardentem à תתק accensus fuit, arsit, quòd totum inæstuet corpus & inflammet. Unde à *fervendo* deducit *Trincavellus*, quòd totum ferveat corpus.

*Paracelsus* 1. *paramir. cap. 6. tom. 1. pag. m. 76.* febris nomen à *fervere* erroneè deduci, asserit. Fervor saltem est signum morbi illius, non materia, non causa. Nomen autem procedere debet à materiâ, & proprietate, & natura ipsius substantiæ, sed dicenda propriè *morbus nitri sulphuris incensi*.

A *feritate*, quâ tyrannidem in corpore humano exercere videtur.

*Aliis* placuit deducere à pisce quodam, qui *Scaligero de subtilitate ad Cardanum exercitat. 218.* FEBRIUS dicitur. Hunc si quis manu capiat, illicò febrim corripitur; amissò verò illò, statim liberatur. Hæc obiter.

Causus non simpliciter vocatur febris, sed μετα παραθήκης ARDENS, quòd præ reliquis febrium speciebus vehementiùs urat corpora humana.

CA.